

ter specialem Apostolicę Sedis auctoritatem deinceps conce-

DE JUDÆIS ET SARRACENIS.

TITULUS VIII.

I. [c. an. 1316. Avenioni.]

Ut Petrus filius Regis Castelle, pio ductus proposito, facilius

COPIOSUS in misericordia Dominus, qui de sua abundantia pietatis corda fidelium ad sue Majestatis obsequia devotionis ardore succendit, pręcordis dilecti filii nobilis viri Petri Infantis nati clarę memorię Sanchii Regis Castelle, adeo copiose gratiam cęlestis inspirationis infudit, quod sibi delectabile reputat propriam exponere in ipsorum prosecutione personam. Pio quidem Nobilis ipse ductus proposito, tanquam strenuus athleta Domini, negotium impugnationis periculum Agarenorum, a quibus Regnum Granate in Christo filii nostri Alfonso Castellę Regis illustris, qui sub teneritudine puerilis etatis adhuc dinoscitur constitutus; assumpsit, sub spe cęlestis auxilii, ferventer & viriliter proseguendum. Cüm igitur omnia cupiamus obstacula removere, per quę dicti negotii profectio possit quomodolibet impediri, univērsis & singulis cujuscunque conditionis, pręsentibus vel futuris existant, districtius inhibemus, ne arma, equos, ferrum, ligamina, victualia, & alia quęcunque prohibita per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ad terras Egypti deferri, ad Sarracenos dicti Regni Granate, intra triennium incipiendum a Kalendis Aprilis proxime secuturi, quomodolibet deferre præsumant. Nos enim omnes & singulos, qui ad dictum Regnum arma, equos, ferrum, ligamina & victualia supradicta, & quęcunque prohibita, contra tenorem hujusce nostre prohibitionis deferre præsumperint, illis penis & sententiis, quas deferentes hujusmodi prohibita in Alexandriam, vel ad Egypti partes incurunt, decernimus subjacere. Et nihilominus omnes & singulos, qui Sarracenis Granate præstabitur (dicti negotii prosecutione durante) auxilium, consilium vel favorem, aut protectionem dicti negotii directę vel indirectę, secretę vel publicę impedire vel turbare præsumperint: excommunicationis sententiam incurere volumus ipso facto. Nulli ergo nostre inhibitionis, constitutionis, & voluntatis, &c. Datum Avinion. v. Kalend. Martii, anno primo.

DE TORNEAMENTIS.

TITULUS IX.

I. [c. an. 1316. in Gallia.]

Constitutio Clementis in quibusdam Regnis Torneamenta

QUIA in futurorum eventibus sic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod conjectura probabilis ex nunc interdum attenta consideratio utile pollicetur, reperiri damnosum quandoque contingat: nonnunquam quod consultę statuitur, ex sanioris recordationis Clemens Papa V. prædecessor noster attentę considerans generale passagium in Concilio Viēnensi, pro Terre Sanctę subsidio salubriter ordinatum, per Torneamenta & Hastiludia sive Juxtas non leviter impediri: tum quia frequenter sic ipsum passagii negotium prosecutiones exinaniant, quod ad eius executionem efficiuntur impotentes; tum quia interdum quamplures ad crucis assumptionem retrahunt, dum ab illis abstinere (alii ea exercentibus) erubescunt: Torneamenta ipsa & Hastiludia, sive Juxtas in Regnis Francię, Anglię, & Alemanię, & aliis nonnullis Provinciis, in quibus ea consueverunt frequentius exerceri specialiter interdixit, in faciendū consentium, & illorum etiam in quorum locis, vel districtibus herent non prohibentium hoc cum possent, & illorum procedentes ad illa in domibus suis recipientium, vel commercium quomodolibet exercentium cum eisdem, personis excommunicationis, & in terras interdicti sententias promulgando; absolutione ab excommunicatione hujusmodi, præterquam in mortis articulo, Sedē Apostolicę

o Vide gl. in l. Tale pactum. §. fin. ff. de pactis. l. Scire oportet. §. fin. ff. de exc. tut. gl. in verbo. Præsentes, repntata singular. Cl. 1. de vobis. §. l. 1. C. de vobis. c. 1. Et Bol. in ca. 1. §. Si quis rusticus: de pa. ten. Font.

reservata. Verum quoniam, ut intelleximus, per sententiam hujusmodi periculum animabus ingeritur, & pro eo maxime negotio dicti passagii derogatur; quia nonnulli militari cingulo abstinere, & quia vacare militie, metu præsentium ipsius sententię non præsumunt, propter quod idoneos & voluntarios ad Terrę prædictę subsidium in Regnis eisdem contingit pauciores solito reperiri. Nos ad dictorum filiorum nobilis viri Philippi clarę memorię, Regentis Francię, & Navarre Regis, & aliorum de domo regia, necnon quamplurium Magnatum & Nobilium, tam in Regno Francię, quam aliunde considerantium præmissa discrimina, repetite supplicationis instantiam; sententias excommunicationis & interdicti præfatas, præmissorum supplicationibus inclinatis, & ducti considerationibus antedictis, & ex causis etiam rationabilibus aliis in favorem sæpèfati negotii, de Fratrum nostrorum consilio revocamus: eos, qui propter exercitium Torneamentorum, seu Hastiludiorum ipsorum hujusmodi sententias incurerunt, absolventes ab illis, & cum eis qui sic ligati, vel in locis propterea interdictis Divina celebrantur Officia, super irregularitate inde contracta auctoritate Apostolica dispensantes. Datum Lugduni xvi. Kalend. Octobris, anno primo.

DE CRIMINE FALSI.

TITULUS X.

I. [c. an. 1322. Avenioni.]

Falsificantes monetam Regis Francię, & aliorum locorum

PRODIENS quasi ex adipe iniquitatis multorum sceleratorum funesta cupiditas eos in perniciem precipitare conatur, dum sequi miserabilem ejus ingluviem fatietatis nescientem moderamina non verentur: ipsi etenim turpium lucrorum se facibus immergentes, ambitiosis nexibus involvuntur: Dei timorem damnabili cęcitate possunt, & quasi ambulantes in tenebris non vident excidia personarum. Nuper fidei quędam nostri Apostolatus auditum multorum relatio fide digna perduxit, quod nonnulli nullam habentes auctoritatem juris, vel consuetudinem, seu privilegium faciendi, monetam falsam ostendunt & fabricant in Regno Francię, & locis circumvicinis.

Alii vero monetam falsam sub vero ligno charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum & Navarre illustris studiose depravant, & ex hoc cadit a suo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure aut consuetudine, seu privilegio jus competet fabricandi monetam, signum proprium monetę regię, monetę suę, quam fabricant, imprimere, seu insculpere moluntur, eisdem quantitatibus & jocunditatibus, literarum figurę quam habet monetę regię monetę suę, quam fabricant, quantum possunt similitudinem, speciem & formam insculpunt, constituunt, & imponunt: & quamvis monetę prædicta eorum ad usurpationem similitudinem perducta deciat a justo pondere argenti, & solito in regia monetę, & more, & consuetudine observato: simplices tamen & populares personę non habentes inter monetas tantę similitudinis peritiam discernendi, falluntur quotidie ea occasione in usu monetarum, recipientes monetas falso assimilatas pro veris. Sunt & alii qui scienter falsas monetas extra Regnum prædictum emunt, & post intra Regnum ipsum eas portant, vendunt & expendunt. Nos igitur attendentes, quod idem falsarii & fabricatores monetarum talium, & emptores prædicti per hoc se dignos maledictione constituunt: eos, qui, ut præmittitur, præmissa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad Regnum prædictum scienter præsumperint; felicis recordationis Clementis Papę V. prædecessoris nostri vestigiis inherentes, excommunicationis sententię innodamus; absolutione prædictorum nobis & successoribus nostris, præterquam in mortis P articulo, reservata. Nulli, &c. nostre innovationis infringere, &c. Datum Avinion. v. Nonas Julii, anno septimo.

DE PRIVILEGIIS.

TITULUS XI.

I. [c. an. 1321. Avenioni.]

Privilegia, si qua sint, quibus aliqui Nobiles Campanię

AD nostri Apostolatus pervenit auditum, quod nonnulli Nobiles & Communitates intra nostras Campanię, Maritimęque Provincias constituti, afferentes per privilegia Sedis Apostolicę sibi fore concessum quod de Provin-

P In mortis articulo nulla est casum reservatio, atque idē omnes Sacerdotes quotibet penitentes a quibusvis peccatis & censuris absolventes possunt. Ita Conc. Trid. sess. 14. c. 7. de casuum reservatione.

ciis ipsis per Rectorem eorum, qui est pro tempore; vel Officialis curię Rectoris eisdem banniti in terris, civitatibus, castris, & locis eorum morari libere possint, nec in illis idem Rector bannitos ipsos capere valeat; eosdem bannitos in dictis terris, civitatibus, castris, & locis, non abique derogatione Sedis Apostolicę manifesta recipiant, & recipient. Nos igitur, qui benevoli more patris in Provinciarum ipsarum tranquillitatis, & pacis commodis delectamur; super hoc, prout ad nostrum spectat officium, pro communi bono Provinciarum ipsarum de congruo volentes remedio providere, privilegia supradicta, cujuscunque tenoris existant, maxime cum ipsorum prætextu maleficia remaneant in eisdem Provinciis impunita, pandatur ausus excessibus, culus ledatur justitię, dictique Rectoris multipliciter impediri officium, ac Provinciarum ipsarum status pacis fœdere violato, non absque grandi Republicę detrimento subverti possit scandalis, scissuris; ex nunc auctoritate Apostolica, ex certa scientia revocamus, annullamus, & etiam irritamus, ac nullam decernimus habere roboris firmitatem. Nulli, &c. nostre revocationis & annullationis, cassationis, irritationis, & constitutionis infringere. Data Avinion. vii. Idus Aug. anno sexto.

DE PENIS.

TITULUS XII.

I. [c. an. 1318. Avenioni.]

Narratis facinoribus hominum Marchię, qui suos Rectores

DETERUM crescente malitiā videmus mundum in deteriora jugiter prolabi, sic (hominum mentes assuetę depravate nequitiā) malis passim cumulum superaddi, ut & boni qui alias odirent virtutis amore delinquere, interdum cum peveris admitti, concurrere cum illis in illicitis habeant, & in aperta malitiam proflire. Est enim compendiosa malorum audacia, ut saltem pene formidare retrahantur a noxiis, sique boni sectando virtutem meliores efficiant, non cogantur cum illis perire. Sanę vulgaris famę notorium publicat, & longę lætę ipsa injuriosa transgressus evidenter manifestat quod nonnulli de Marchia Anconitana Provincia nobis & Romanę Ecclesię subiecta, nedum olim temporibus diversorum Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum gressus fidelitatis egressi, declinaverunt ad infidelitatis reprobrę devium; sed in diebus non longę præteritis contra nos & Ecclesiām eandem, & dilectum filium Amelium Præpositum Bellimontis, Capellanum nostrum Provincię memoratę Rectorem, cervicem rebellionis erigere præsumperunt, & in quosdam Officiales & familiares suos crudeliter saevientes, post graves illatas injurias, & probris consumelias irrogatas eisdem, & post bona ipsorum violenta predatione subtracta, eos cruentę mortis supplicii in ore gladii tradiderunt: inter quos pars dicitur fuisse non modica cui mens sanior inerat, & tante temeritatis excessus non leviter displicebat; sed habuerunt, vel invitati furori confusę multitudinis cedere, dum illius nequeverunt conatibus obviare. Nos igitur, ut mali poenarum impositionibus gravium terri vererantur in antea in consimilibus erroris inivum relabi; ac boni persistentes in sua fidelitate constantē non habeant propter illorum claudicare perfidiam, remediis quibus possunt præcavere volentes, & animarum suarum salutem, dictę Provincię pacifico statui patens affectibus propiciere cupientes; de Fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum vultura constitutione facimus, ut quicunque de Provincia ipsa, vel aliunde in ea Provincia moram trahens, Clericus vel Laicus famę suę prodigus (ipsum Ecclesię calcatā reverentiā) in hoc secleris genus irreplevit, quod Rectorem seu Rectores, qui pro tempore regimini dictę Provincię in spiritualibus & temporalibus auctoritate Apostolica præfuerint, vel ipsorum aliquem, aut eorum, vel aliquos ipsorum Vicarium, aut iudicem, vel Judices, vel ipsos Provincię Thesaurarium, aut locum tenentem eisdem (quod absit) occiderit, aut ad offendendum illum, vel illos infecerit extiterit, ceperit, capitaverit, detinuerit, percusserit, aut etiam vulneraverit, aut ipsorum aliquem, vel alios in locum, ubi moram traxerint, insultum fecerit, aut ipsam vel ipsos obederit, five de suo regimine vel officio forsitan expulerit, vel fugaverit, vel focus fuerit factio, aut alius ex eis, vel quovis alios de Provincia ipsa directę vel indirectę contra nos & præfatum Ecclesiām, seu Rectores, Officiales, & locum tenentes prædictos, vel ipsorum aliquem ad seditionem quomodolibet excitabit, ac rebellionem seu conspi-

rationem per se, vel per alium, seu alios facere, vel procurare præsumperit, vel ad ea, five ipsorum aliquod, dederit auxilium, consilium, vel favorem, directę vel indirectę, publicę vel occultę, cujuscunque conditionis, Ordinis, dignitatis aut status, Ecclesiastici vel mundani fuerit, etiam Patriarchali vel Archiepiscopali, seu Episcopali, vel superiori præfulgeat Dignitate, perpetuo sit infamis, ut nec ad testimonium vel alios actus legitimos admittatur. Sit interstabilis, ut nec testandi liberam habeat factionem, vel ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocetur. Nullus ei super quocunque negotio respondere, sed ipse aliis respondere teneatur. Nec quavis causę ad audientiam perferatur illius. Nec valeant ejus sententię, vel processus. Nullus ei in quacunque causā, vel negotio patrocinium præstare præsumat. Nec ipse ad patrocinandum aliis admittatur. Instrumenta confecta per eum, si fortę officium Tabellionatus exerceat, nullam habeant firmitatem: sed potius cum adore damnato damnentur. Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis, vel mundanis, quę obtinet, quęcunque sint, & quocunque nomine cęntentur, sit eo ipso privatus, ac inhabilis & indignus ad ea, & qualibet alia in posterum obtinenda. Filii ejus ad nullos honores Ecclesiasticos, vel mundanos, ad nullas Dignitates, vel Beneficia Ecclesiastica, aut Officia publica quomodolibet admittantur. Libertatibus & etiam immunitatibus realibus & personalibus, privilegiis & indigentis quibuscunque sub quacunque forma verborum ab Apostolica Sede concessis, extunc penitus careant. Vasalli & homines a juramento fidelitatis, & alia quavis obligatione, quibus tenentur eidem, sint penitus absoluti. Feudag quoque, jura, honores, ac Officia, & alia quęcunque bona immobilia, quę in dicta Provincia Marchię, & alibi ubicunque a prædicta Romana obtinent Ecclesię, sint eo ipso penitus confiscata. Aliis vero feudis, juribus, honoribus, officiis, & bonis immobilibus, quę a quibuscunque aliis tenent Ecclesiis, sint eo ipso privati: quę sic ad eisdem Ecclesiis libere revertantur, quod de illis earum Rectores pro sua voluntate disponant: mobilia vero bona ipsius concedimus fidelibus occupanda. Illud nihilominus adijcimus nostrę hujusmodi sanctioni, ut sic delinquentes adijcimus excommunicationis sententię: Universis verō, seu Communitatibus, quę deliquerint in prædictis, ejuque territorium & districtum interdictio Ecclesiastica subiaceat ipso facto: A qua quidem excommunicationis sententię nullus ab alio, quam a Romano Pontifice possit absolutionis beneficium obtinere, nisi duntaxat in mortis articulo constitutus. Per hoc autem non admittimus Secularibus Potestatibus facultatem utendi legibus contra talem, quas adversus sic delinquentem Catholicos Principes ediderunt. Dignum etenim est, ut eos timor Dei a malo non revocet, poenarum moles in eos exaggerata compelat. Nulli, &c. nostre functionis, & sanctionis insuper &c. Datum Avinion. viii. Kal. Septemb. anno tertio.

PITH. Hominum Marchię. ] Arresto ann. 1302. die 21. mensis Maii, judicatum hanc Extravagantem locum habere tantum in Marchia Anconę.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS ET INTERDICTI.

TITULUS XIII.

I. [c. an. 1316. Avenioni.]

Taxatio gratiarum Sedis Apostolicę impetratarum, tam cum clausulis consuetis, quam non consuetis, hic continetur. Et quot literas, quasque distinctiones linea completi debeat, declaratur: ad paupertatem respectus habetur. Contra transgressores pena suspensionis ab officio usque ad sex menses, & quandoque privationis imponitur: & ultra illam abbreviatoribus sententiam excommunicationis Papa comminatur.

CUM ad sacrosanctę Romane Ecclesię sinum, velut ad matris ubera, referta dulcedine, ac ad Romani Pontificis, Christi Vicarii, successorique Petri, clementiam, tanquam ad patris plenam providentię pietatem, orbis terrarum, & qui habitant in eo, gratiarum spe affiduę confluant univērsi, indignum credimus nostris fore temporibus, ut quibus nos, & Ecclesię ipsa exuberamus in gratis, deciamus in donis; ne murmurandi inde præstetur occasio, unde gratitudine necessitas aderat collaudandi; néve scriptura reddat onustum, quod liberalitas fecerat gratiosum. Quare circa literarum nostrarum scripturas, registri quoque nostri, necnon abbreviatorum Rom. curię notas, illam in taxando volumus moderationem apponi, quę persona, quibus gratia hujusmodi conceduntur, se gratias ipsas ab Apostolica Sede liberaliter sentiant consecutas; ac literarum ipsarum scriptoribus registri etiam nostri, notarumque abbreviatoribus antedictis, qui interdum in eis etiam multo labore defudant, de suo labore congruę satisfacti. Ad tollendos igitur excessus, difficultates, circuitus & anfractus, qui possent ex variis literarum Apostolicarum taxationibus provenire;

Quia in mortis articulo nulla est casum reservatio. Vide Concil. Trid. sess. 14. c. 7. de casuum reservatione.

Vide Innoc. VIII. in Regula lxxv. ubi dicit quod Camera Apostolica est mater pecuniarum. Vide nundem in Regula lxxvi.